




UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Expedita Hollandiae, Zelandiae, Et Ditionis Ultraiectensis Expvgnatione

Lvxembvrgi, 1591

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31560**



~~Fests~~

J 372.



ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN

19  
DE EXPEDITA  
HOLLANDIAE,  
ZELANDIAE, ET DI-  
TIONIS ULTRAIECTENSIS  
EXPUGNATIONE.

AD SERENISSIMUM REGEM  
*Hispaniarum, & Illustrissimos eius Principes:*

BREVIS CONSULTATIO.



PSAL. LXVII.  
Dissipa gentes, quæ bella volunt.



SERENISSIMO HISPANIARVM  
REGI, ET ILLVSTRISSIMIS EIVS  
Principibus: felix de perduellibus victoria.



Nunus duodecimus agitur, Serenissime Rex, & Illustrissimi Principes, à celebri Conuentu Coloniae habitò, ad quem conuenerant, ex principibus Imperij, præter ceteros, duo Electores, & aliorum Delegati: tum capita Ordinum Belgij deputata: sed diuersa mente, & proposito. Quod equidem fore, à prudentioribus non ignorabatur. Quid igitur conuentum? Ut quod erat ambiguum in Belgicis seditionibus dudum concitatis, & amplius prolongandis, palam toti orbi aperiretur. Extant Conuentus acta, ne quid quempiam late-ret. Accusabantur Principes Imperij, cum ab exteris, tum à Belgis ignauia, quasi officij aut fidei, vicinis vel socijs præstanda parum memores: quod sapius in auxilium vocati, cunctatiores essent, nec ullis scriptis & rationibus adduci possent, ut Belgarum commotionibus se immiscerent: Sic enim sperabant se posse, præsidarium Regis militem, è sinibus Belgij deturbare, & eijcere. Nam huc ante aliquot annos missus erat, ut seditiosos sectariorum tumultus, iconoclastica factione infames consopiret: tum sceleratos rebellium, peiora quotidie molientium, conatus infringeret.

Principes Imperij, qui conuenerant, coràm exposuerunt Imperium nequicquam stringi, vel teneri, ut Belgarum negotijs, cum legitimo ipsorum Principe, Hispaniarum Rege controuersis, se admisceret, vel adiungeret. Nam orbi palam esse non ignorabatur, totius negotij summam in duobus potissimè consistere. Quorum primum, causam religionis; alterum, priuilegia spectaret, neutrum ita Imperium concernere, ut sumptis armis, vel ad alterutrum sopiendum accurrere oporteret. Si quippiam aduersi ab exteris immineret, quod sine Imperij iuuamine haud facile arcere, vel agrè propulsare possent: tum non defutura in iusta defensionis tutelam. Quod enim ad religionis negotium attinet: non videre, cur tanto Regi, legitimo illorum Principi non liceret, quod in Germania cuius Principi & Domino liberum est, ut quam velit religionem, subditis seruandam mandet. Quin admodum iniqua ratione Belgas, diuersum à Rege petere asseriebant: quem cum iureiurando constrinxerant, ad Catholicam religionem ipsis perpetuò conseruandam.



De privilegijs verò censebant: ut quæ Rex, & eius maiores, iustis de causis olim dedissent: posse illa denuo ob certas causas adimere. Tum rem istam, non armis examinandam esse existimabant: sed potius consueto appellacionis beneficio conquirendam: ut quid æquum, vel iniquum esset; maturiori iudicio perpenderetur. Porro hanc Conuentus, à Sacro Imperio indicti rationem dicebant: ut si quem posset reperire modum reconciliandarum partium, Belgij nimirum, & legitimi sui Principis, Regis Hispaniarum, prospiceret. Quod licet fieri non posse, iam intelligerent Imperij Principes: nihilominus id negotij sibi sumendum arbitrabantur. Ut hoc pacto omnem sinistram opinionem de se remouerent: & turpem ignavia notam, & socordia nauum, ab Imperio tollerent: de quibus iam dudum, cum à Belgis, tum ab exteris insimulabantur. Ut qui ad sustollendam controuersiam non accurrerent, vel saltem conciliandis partibus, nullam adhiberent operam. Nam hac via existimabant plurimi, diurnam & miserandam Belgij commotionem, cunctis orbis prouincijs molestam & odiosam, cito consopiri, & penitus tolli posse.

Ad hunc conuentum, ob Belgica negotia indictum, ex Belgij Ordinibus nonnulli, iam dudum expectati, non sine Principum tædio, tandem uenerunt. Sed quonam animo, & proposito? Haud alio, proculdubio, quam ceteros congressus, & colloquia, crebrò cum suis comprouincialibus, aut Regijs ministris, & Legatis habita, adire consueuerant. Huiusmodi enim congressus, institutis suis promouendis imprimis accommodos, frequentes optabant: utq; diuersis in locis, & crebrò conueniretur, plurimum ad laborabant. Non quod hinc quietem, tranquillitatem, aut pacem sperarent, vel optarent quidem: verum ut per duellionis sue factiones, sub splendido pacis incunda titulo, & concordia fisco, longius propagarent, & diutius protraherent. Ita enim uiris principibus, magistratibus, ceterisq; reipublica curatoribus, & Regijs ministris, qui conueniant, uirulenta & dolosa pessima sue per duellionis consilia, palam vel occultè suggerere, opportunum dabatur. Nam hac chartis committere, & absentibus concedere, minimè tutum, nec rebus suis accommodum existimabant. Tum etiam homines astuti, quos in suas partes uertrahere, & bello cogere nequibant, comitibus circumuenire, & inducere conabantur. Nam hic articulis intricatis in deceptionem adductis, conditionibus in fraudem propositis, & pactis in dolum confictis, pios decipiunt, minus circumspectos fallunt, prudentiores illudunt, & circumueniunt. Exemplo sit Conuentus ille Coloniensis. Ubi quid eius presidij, Truchse-

fia

so, haud longè postea contigit, notius est, quàm ut opus sit referre. Exem-  
plo Pacificatio Gandensis. Ubi Principis Auarici vulpina fraude, pluri-  
ma Belgij provincia circumuenta prater spem & opinionem, seditiosis Ho-  
landiæ, & Zelandia factionibus intricata sunt. Tum eò adducta, ut volen-  
tes nolentes, abolito & prostrigato Catholica Religionis exercitio, in apertam  
rebellionem in Regem una assurgerent. Hic Comitiorum cum seditiosis  
fructus; hac Conuentuum utilitas. His opportunis medijs, fraude, astu, & do-  
lo commistis, suas factiones ampliùs promouent per duellum capita, quàm vi-  
ribus plerumque infirmis, & imbecilli virtute possent.

Circa illud verò tempus, quo Conuentus iste ageretur: Consultationes  
quedam scripto, & editis libellis prodibant. Quæ huc spectabant, ut modum  
aliquem suggererent, qui sedandis Belgarum tumultibus, & tollendis insti-  
dijs, imprimis videbatur opportunus, & maximè accommodus. Erant, quæ  
libertatem religionis vrgerent: alia Regij presidij à Belgio remotionem. Non  
deerant, quæ pleniora Imperij Comitia postularent. Conuentu habito pro-  
didit alia Consultatio, quæ saniora proponere videbatur, & duo potissimum vr-  
gebat. Primum, fieri non posse, ut aliquis reconciliandi modus reperiri, vel  
firma & stabilis concordia sperari posset; ubi seditiosa hæresis fidem, promissa,  
& pacta, etiam iurando firmata, seruare nescia, alteras partes habet. Secun-  
dum, quod latius se diffundebat, inde sequi videbatur. Nimirum in compo-  
nendis Belgij dissidijs inutiliter laborari, colloquiorum, conuentuum siue co-  
mitiorum congressu: Nec minus vanè huc contendendi literis, edictis, proclama-  
tionibus, alijsq; id genus scriptis omnium commissorum impunitatem, & ob-  
lisionem, & alia quæuis pollicentibus. Quod hæc omnia nihil prater moras  
Regi noxias, per duellibus opportunas inycere, satis & per abundè comper-  
tum esset. Aliud itaque nullum superesse remedium Belgicis dissidijs com-  
ponendis, siue per duellibus ad pristinam Regis obedientiam reducendis, præ-  
ter arma. Quibus illa comprimi, vel amputari: isti vel inuiti cogi posse vide-  
bantur. Hæc eius Consultationis, quæ sanior videbantur, summa erat.

Consilium istud nequicquam vanum Regi visum est. Omissis enim inuti-  
libus illis & reprobatis modis, quorum nullo uti postea visus unquã fuit, mox  
armis negotiũ prosequi maiori studio cepit. Quibus perniciofa Alanconij regis  
Galliarũ fratris molimina, in Brabantiam, & Flandriã provincias, egregiè  
compefcuit. Quem occultè sollicitauerat Auaricus princeps, coniuuratissimus  
Regis

Regis Hispaniarum hostis: Ut quod ipse non poterat, aliena ope conficeret: quo Regem magis infestaret, ac noceret gravissime. Sed referre iuvat, quo nam insulsus ille, à Principe dementatus, per ductus fuit. Antuerpia in foro, huc extructo theatro, se Ducali chlamyde & galero, solenni ritu, à fatuis hominibus indui passus est. Tum à stolido populo, Ducem Brabantia, & Flandria Comitem, acclamari. Substantibus Hollandis cum suis confederatis, & insulsam utrimque fatuitatem irridentibus. Quorum subiectionem datis literis, frustraneo conatu postulabat. Qui nihil minus, quam illius gubernacula admittere, cogitabant: quum nullius ferre, iam dudum animum induxerant. Sed Alanconius, dum novi principatus gubernacula, minus dexterè tractat: ut qui Principem, suum promotorem eicere moliretur: tum populum, à quo inauguratus erat, comprimere: ab illis repudiatus est. Quin & fuga salutem consulere compulsus, in sua reuersus est. Ubi paulo post, moerore confectus, periit. Princeps verò Ayracus a Rege proscribitus, unde sclopeto antè in ore ictus, sub idem tempus eodem tormenti genere, corde transfossus, è viuis tollitur. Quae dum aguntur, Dux Parmensis, non cum aduersariis de concordia consultans, aut colloquia de reconciliatione miscens, in Regis negotio armis pergit. Et solerti industria Antuerpiam, ciuitatem munitissimam (ut parem orbis nullam agnoscat) pristina Regis obedientia subicit. mox prouincias Brabantia & Flandria penè totas. Adeoq; spes non minima erat, propediem fore, ut ceterae Belgij prouincia, huc simul omnes facili compendio reducerentur.

Quid verò obstiterit, rogitat quispiam? Ipsa cum per duellibus suis confederatis Hollandia. Cuius praecleara in per duellione studia, insignia acta, & heroica scilicet gesta, prius obiter recensere, instituto plurimum conferet. Ne quid temere videatur proponi, vel leuide causa res necessaria expeti. Inter Belgij prouincias, Hollandia, legitimi sui Principis, Regis Hispaniarum gubernacula, aperta rebellionem, omnium prima abiicit. Inde Ayracum, hostem Regis coniuuratissimum, metu Ducis Albani Belgio exulantem, aduocarunt rebelles. Cuius astu, & concilio, ciuitates aliquot ex vicinis prouincijs, ad rebellionem concitarunt. Quibus à Regio exercitu, mox subiectis, & pacatis: Hollandi alias sua rebellionem implicarunt. Quibus similiter à Regio milite recuperatis, licet maiori molestia, & prolixiori tempore: illi serio cogitant, de Regis presidio è Belgicis prouincijs remouendo: ut ita tandem cunctas in suam per duellionem, certo & minus frustraneo conatu pertraherent. At viribus huc se impares conspiciunt. Astu igitur, quo ualent

lent plurimum, rem conficiendam decernunt. Fingunt se provincijs ceteris, atque ipso Regi reconciliari velle. Indicitur Conuentus: Gandani conueniuntur: Conficiuntur pacis foedera: Belgio educitur Regius miles: Arcibus, propugnaculis, & ciuitatibus praesidia Ordinum, imò sectariorum imponuntur. Ita miserè factionibus perduellium implicata provincia, dum mox anita exuuntur religione, se illusas conspiciunt, & sero dolent. Tum arces Regiae passim demoliri capta. Regis insignia indignis modis vbinijs deijciuntur, subuertuntur, & pedibus (heu facinus nefandum) conculcantur. Rex ipse, hostis proclamatur. Militares Regis copia proscribuntur: sidi eius ministri praefecturis amouentur; magistratu abdicantur; alijs publicae functione priuantur. Ceteri deinde subditi, Regem fideli obsequio, quin & exteri ipsum fauore prosequentes; patriae hostes, & Belgij inimici decernuntur. Tum Regias immunitates inuadunt: telonia & vectigalia diripiunt: eius patrimonialia hasta subijciunt. Neque haec quidem satis. Excogitantur pessima iurandi formula: obtruduntur promiscue omnibus, nullo habitō personarum discrimine: idque sub pœna exilijs, vel direptionis bonorum, nisi recipiantur. His, sinceræ religionis exercitium abnegatur: Regi debita obedientia renunciat: Regem ipsum hostis loco) cum omnibus ipsi fauentibus habendum, astipulantur. Tum cunctos eius ministros similiter censendos, se constringunt. Ad haec, ne Regi vnquam se reconciliari patiantur: nec à praestito iureiurando, se vllō pacto lenari curent, vel absolui faciant: nisi capitis pœna reos se haberi, suo iudicio velint: eadem iurandi formam astringuntur.

Periclitatur de apprehensione, praesidio destitutus regius Gubernator: Fuge praesidia quatit. Ne tamen perduellium libidini cuncta cedant: ablegatum Regis praesidium renocat. Quod quum astu denuò remoueri non posse conspicerent perduelles, vt idem violenta manu tentarent, vel saltem praesidij conatus infringere, & arcerent, Imperij subsidia implorant. Quibus prouidè denegatis, quosdam priuatim sollicitant. Tandem vnus collecto milite accurrit, vt suppetias tantoperè desideratas ferret: tum causa commiseratione motus, tum splendidis & magnificis promissis inductus, quibus animum eius percellere, & defatigare non cessabant. Comitatum proponebant opulentissimum, iure hereditario eundem ipsi deberi, asserabant. Ad haec, modo temporis opportunitatem suadere affirmabant, vt armis peteret, quod legum beneficio consequi nequibat, & illuc operas suas se praestituros pollicebantur? At ille praesens perduellium imposturas  
olfecit,

offecit, technas sensit, & astuta ac vasa ipsorum consilia intellexit. polliceri quod in manu non erat, addicere quod prestare nequibant, & si possent, non tamen velle, & ne quidem cogitare. Protinus igitur pedem retraxit, male precatus perfidis hominibus, pessimis illis perduellibus, quibus iam volupe est, & quasi pro ludo habent, Principes viros inquietare & circumuenire. Cuiusmodi in suas partes pertrahere studebant, & quibuscunque modis euocare haud alia ratione conabantur, quam ut perduellionis sua commotione in vicinis prouincijs grauiores facerent: quibus Regias copias à se longius arcerent, tum Regem diutius circumagerent, quo in sua perduellione tutò ac diutius consisterent. Tum denique illorum opera satis abusi ipsos (ut sepius fecerunt) illuderent.

Nec satis fuit perduellium capitibus Hollandis, cum suis confederatis, vicinas prouincias infaustra persuase rebellionis commotione agitari: leue hoc illis & ludicrum, sui ordinis homines tantum fallere, abusa eò licet quorumcunque hominum, & magnatum opera. Quoties animos vicinorum principum explorati sunt, si negotium suum ipsis commune facere possent? Quid eò non tentarunt? Quibusnam technis, fraudibus, dolis & imposturis non vsi sunt: ut inscios, parum attentos, & improvidos in suas partes pertraherent? Quam ansam non prebuerunt, & quam neglexerunt occasionem, ut Principes quippiam admitterent, vel Regi quid designarent, unde suboriri similitates possent: atque ita inter se committere. His artibus crebrò Dania Regis quietem, turbare conati sunt. Hoc ariete constantem Ducis Cluuiæ animum concutere, & mouere, creberrimò adlaborarunt. At suis hic conatibus frustrati: nequaquam desistunt. Hoc unum ipsis studium, ut cuncta circumquaque seditionibus & tumultibus repleant. Trucksesy Electoris Coloniaensis animum, iuuenili seruore ad quamuis innoationem facile procliuem alliciunt, in similem ludum protrudunt. Atque hic fortè Conuentus illius Coloniae habiti, sparsò ibidem suæ perduellionis semine, egregius fructus. Sed hominis non ita prouidi & circumspècti, tum absentis tum presentis opera, in suis factionibus satis abusi, ipsum veluti inutilem fucum despicunt, derident, abijciunt. Adeòq; premente inedia, finibus eorum exire coactus est. Qui dignitate exutus, & re angusta pressus: quo vitam miseram trahat, præda & rapinis viuere, illinc instructior abijt. Unde modo in distrabendis Cleri edibus, deuastandis Ecclesiæ agris, & dissipandis prædijs, egregium Argentine Decurionem agit.

At

At Principes vicinos inquietare, nequaquam satis visum est Belgica per duellionis autoribus: in oras longissimas progrediuntur, & ibidem sceleratas turbulenta commotionis faces succendere, aut succensas fouere contendunt. Contigit Regem Portugallia vita fungi. Regnum hereditario iure Regi Hispaniarum cedebat. Filius Portugallia notius illud praeipere conabatur. Perduelles mox classe instructa hominem adiutare parant. Et accurrissent, ni Deus impios conatus subtrahito vento compressisset. Tum metuere coeperunt perduelles, ne Rex adepto Portugalliae regno, vicinas Brabantia & Flandriae provincias vehementiori impressione concuteret, & subiugaret. Regis igitur Galliarum fratrem Alanconium, ad earum gubernacula, oculis Auriaci consilijs, euocant. Nam ita sperabant Regis vires posse infringi, vel grauioribus molestijs implicari: si Regis Galliarum fratrem, regni heredem, atq; ut simul sperabant (ob affectam ipsius regis valetudinem) mox successorem, copijs Hispaniarum Regis obiecissent. Sed illo negotium minus dexterè tractante, ideoque pulso, nec longè post extincto: & Auriaco ex proscriptione sublato: (ut supra dictum est) ditiones Brabantia & Flandria penè tota, in Regis potestatem venerunt: Neq; hic ordinem historia texere proposui: sed sceleratas perduellium factiones, & pessima illorum molimina obiter memorare.

Sed illis ditionibus subiectis, nunquid perduelles illi, qui miseris vicinis & rebellionis, & cladis autores fuerant, sibi a Regio exercitu metuebant? Nonne mox, priusquam in se irruerent, de ineunda concordia consultabant? Nihil minus. Sed mox ad pristinas artes confugiebant: & quod dudum rectè egerant, iam destituti egregio simulandi artifice Auriaco, palam prosequi decernebant. Anglia Reginam in defensionem aduocant: quaè protinus per amasum suum Lycestrum, receptis in clientelam prouincijs, tradita obsidis loco praesidia, Anglo milite communit. Ita Hollandorum cum suis confederatis perduellionem, in bellum cum Rege Hispaniarum, Anglia Regina commutauit: sic causam rebellionis illis priuatam, ipsa in communem belli commotionem sibi accersuit. In quo dum sedula occupatur: eius iam autoritate satis abusi perduelles: tum foeminei regiminis (ut fieri solet) pertasi, ipsius gubernacula detractant. Lycestrum, Zuphanie expeditioni admotum, in summum discrimen coniciunt: sperantes ita posse ab illo commodè liberari, si vita ibidem iacturam faceret. Qui astum illorum intelligens simul periculo ter-ritus: quo sua securitati consuleret, protinus se abducit, & in Angliam migrat. Sic insulsam hominis fistosi stoliditatem; qui nescio qua animi elatione magnificis Belgij Gubernatoris titulis, se ornari patiebatur, vel arrogabat;

B

ilude-

illudebant. Militem ab eo adductum, vel postea inuictum, atque à migrante relictum accidunt, aut relegant, vel hostium tollendum insidijs obijciunt Anglicana praesidia, in arcibus & oppidis obsidis loco traditis, quum leuare nequeunt, in suam defensionem ferunt. Ita sociale foedus cum Regina fouent: ut belli iam communis impetum, qui illis imminere posset, ipsa commodiori loco excipiat, & cominus frangat. Atq; ita socialis foederis initijs, praeter opinionem citius iactis, sociali bello illusa est. Et quae dudum sperabat, suscepto aperta protectionis munere, se breui posse saluari Belgij Princeps, siue Regina: mox facta est Belgarum, & Regni sui Bellona, id est, Belli dea. Cuius opportunam operam experti sunt perduelles, circa Regiam classem instructissimam: cuius impetum suo accursu repressit. Sic versipelles, uasri, & astutissimi, homines quoscunque, sint, vel cuius esse velint praecelsa, & eminentissima dignitatis, quibus cum negotium est, excipere solent. Quin audent Belgium uniuersum, & nescio quas non Regis ditiones, cunctis in spem praeda proponere, vel in premium polliceri: quos rebus suis adiutandis vel promouendis utiles, & opportunos conspexerint. Utique egregie imitantur illum, magnum orbis illusorem: cui quidem cum ne pilus sit in toto orbe, audet tamen, magno fastu polliceri: Hac omnia tibi dabo: si cadens, & c.

Sed amonenda esse Regine gubernacula, idq; maturè per duellibus uidebatur. Ne uidelicet regni pondere, ipsorum democratia opprimeretur: quam rebellionem partam, sub Auriaci principis umbra, facile conseruabant. Metuebant scilicet versuti homines, ne hac populi administratione ipsis adempta, volentes nolentes in Regiam potestatem traderentur. Vel ne Regina molestis belli afflictata vel defatigata, facile pro mutabili foeminei pectoris inconstantia, illuc inscios & imprudentes perduceret. Tum ne ipsa metuens grauiora, & praecauere uolens, de eorum pelle Regi reconciliaretur, prouidentum putabant. Ad haec, cum illius tyrannidem in suo regno conspicerent, qua principum, magnatum, & regia dignitate sublimium personarum (ut nobilissima Scotia Regina) ceruices securi petere auderet: metuebant iusta ratione, ne firmato eius principatu in Belgio, idem ipsis experiundum foret. Vnde eius tyrannidem maturè arcendam putabant, & collis suis omnem à securi metum adimere. Quamobrem ut securiores uiuerent, fidelitati Regine parum tribuendum, tum eius imperio minus fidendum, nequaquam imprudenti consilio prospiciebant. Quo factum, ut eius gubernacula cito proijcerent. Sed iam cauendum erat, ne classe denuò reparata, uehementiori impetu molestari possent: Si forte Bellona opem detrectaret, vel minori fauore accurreret. Vel si à classe iam minor metus foret, ut quae Belgica expeditioni

uisa

visa erat minus accommodata: nihilominus praecauendum existimabant, ne quid grauius Regia militares copiae, in se, vel in vicinos molirentur. Cumq; Galliarum regnum, distractis in diuersa principum studijs, plus satis commotum esset: illuc quantum poterant grauioris dissidij fomenta congeriebant. Atque ita indies magis inualefcens Galliarum commotio, multo tempore militares Regis copias, continuu otiosas: tantum, ut quoniam illa erumperet spectarent. Vt vero compertum, hanc per duellum studio, in regni ipsius: excidium, tum Regis Hispaniarum grauissimum dispendium contendere: ad ipsam comprimendam vocatus, in Galliam proficiscitur Dux Parmensis. Vbi regali more in Regia ciuitate exceptus, magna cum prosperitate, communia Regis Hispaniarum, tum Regni Galliarum negotia agit.

Iam equidem credo satis conspici, & per abunde intelligi; vnde cuncta clades, calamitates, & vniuersa mala scaturire pergunt: quibus non modo Belgica prouincia, Regiparentes, misere exagitantur, & vicina concutuntur: verumetiam remotiores ditiones, & regna inquietantur, & totus orbis commouetur. Eo enim per duelles illi roto conatu contendunt, & quantum possunt maxime adlaborant: ut omnium principum animos, omnium nationum populos, regiones omnes, cuncta regna, & totum denique orbem, in Regem Hispaniarum concitent. Norunt enim astuti homines, haud alia comodiori ratione posse belli impetum, a se auertere & arcere: Quin norunt certo, experientia multa edocti, se haud aliter posse, in sua per duellione securos & quietos consistere. Nihil metuunt; imo omnia sibi prospera pollicentur, & salua promittunt: quousque concitatis foras tumultibus, commotionibus, & bellis, Regem inquietare possunt. Atque hoc pacto ipsum eminus bellantem, quam diutissime circumagere.

Sed quodnam genus hominum sunt per duelles illi? Qui tot, tamq; enormia mala (nunc obiter recensita) adeoque indigna, in tantum Regem impudenti confidentia designarunt? Quem & tanto temporis protractu, indignis modis illudentes, hucusque impune circumagere pergunt? Nunquid illustri prosapia orti, generis stemmate clari, aut patritio sanguine creti, vel opibus praepotentes, sublimi rerum cognitione, & omni disciplinarum genere instructi, vel denique splendidis virtutum dotibus pralucentes? Nihil minus. Nam protinus ut coepit per duellio, insano & violento (ut fieri solet) populi tumultu: ingenua nobilitas spreta est, patritia dignitas contempta, opes praedae obnoxiae, prudentia derisa, & pietas prorsus abiecta. Qui reipub. sub Rege gubernacula tenebant, amoti sunt, & deturbati. Et qui hanc contumeliam animo generoso perpeti aegre poterant, in exilium acti sunt. Cateri multis concussi molestijs, vi-



tam degere pr iuatam permissi. In eorum locum proruperunt homines, de fece  
plebis pessimi: Qui magna impudentia, & effreni audacia ceteros sue sortis  
præcellere videbantur. Tum qui in perduellione, primo suscitata, tum confi-  
dentiùs auspiciata, & mox latius producta partes suas egregie egerat. Hi enim  
præ ceteris hoc promeriti videbantur, ut eo confcenderent, quo tam præclaris  
artibus, & egregijs studijs contendere visserant. Ex huiusmodi hominum fe-  
ce, per ciuitates & oppida perduellium, constituti sunt magistratus. Homines,  
si religionem spectes, prorsus athei: vel si quid hoc mitius dici potest; Caluino  
pleni. Si mores: adulteri, ganeones, homicida, raptores, perinri, sacrilegi. Si  
fortuna: qui sua abligurierant bona, qui alieno ære grauari, qui foro cesserant,  
qui supplicij metu se subduxerant, qui ob flagitium exilio damnati erant.  
Hi primum arreptis reipublicæ gubernaculis, rem familiarem nullam, aut  
sanè pertenuem, rapinis & spolijs egregie locupletarunt. His, Regis vectigalia  
& telonia, & cetera eius regalia & patrimonia, sisco perduellium addicta,  
credebantur. In horum potestatem, ærariæ reipublicæ veniebant. Adium  
sacrarum thesauri, Cleri prouentus & redditus, monasteriorum agri & præ-  
dia, xenodochiorum subsidia & dona, dispositioni illorum cedebant. De mul-  
tis verò, & rebus Catholicorum confiscatis, quos abegerant: tum enormibus  
exactionibus, quas pro arbitrato imponunt, & inconsuetis atque inauditis  
tributis (vulgò Licentis) quæ cum à suis, tum exteris mercaturam exercen-  
bus, durè & austerè exigunt, modo, sileo. Ex hac & eiusmodi hominum collu-  
niæ, qui rem ex furtis, rapinis, peculatu, sacrilegij auctiorè & splendidiorè  
fecerant: & ceteros malitia præcellere videbantur, in Ordines prouincia-  
rum cooptati sunt. His summa rerum commissa: his belli & pacis potestas con-  
credita. Conspicite, quæso, quosnam vicinæ Belgij prouincia, pridem suæ à Re-  
ge discessionis habuerunt autores, nunc suæ cladis, illusores & depraedationis  
impulsores ferre coguntur? Quorumnam concussiones Principes proximiores  
ferunt? Quodnam hominum genus, remota ditioes, imò & regna, suæ inquietu-  
dinis satores, & commotionis instigatores habent? Qualem hominum collu-  
niem cuncta conturbantem, Rex ipse, & totus orbis sustinent?

Sed quibus viribus, quanam potentia, quibus armis, & qua tandem fi-  
ducia, homines isti pessimi & sceleratissimi nituntur? Adcoq; impune au-  
dent conterminos illudere & depraedari, vicinos Principes concutere, ditio-  
nes inquietare, regna conturbare, Regem ipsum circumagere, ac totum or-  
bem commouere? Quid? Num belli peritia vel industria: viribus aut ferocia  
valèt? Nihil profecto minus. Belgas pugnacem gentè memorat Cæsar. Verùm  
proxima retro atate, ad hanc palestram inepti, ac prorsus inidonei visi sunt

Hol-

Hollandi. adeo ut in ioculare proverbium abierit: Hollandus miles. quo excipitur, qui inuita Minerva se Marti consecrat. Nunquam in campum prodire visusunt, nec aperto Marte cum hoste congredi. Neque viribus adeo strenui, vel animo fortes & infracti sunt, aut belli peritia instructi, ut hoc ausint. Quin si manus conferenda essent cum milite, quicumque tandem ille sit, licet longe minor: facili hic & nequaquam cruenta victoria potiretur: Nam dum iste manus pararet, illi pedibus pugnam praeuenterent. Sed in depraedandis vicinis, Brabantis & Flandris, ceterisque, circumquaque finitimis, pecoribus eorum abigendis, agris depopulandis, colonis concutiendis, oppidis praesidio nudatis spoliandis & diripiendis, admodum strenui sunt, expediti, solertes, nullis hic cedunt.

Sed quanam igitur illis confidentia, & audax temeritas: qua sperant se posse suam perduellionem multo tempore protrahere; adeoque stabilem & perpetuam facere? Et unde tam effrenis audacia, & impudens insolentia; qua quiduis agere impune se posse arbitrantur? Haud aliud hic crediderim, quam loci situm, aduersus quosuis belli incursus, natura munitissimum Mari Oceano circumuoluitur Zelandia, in multas dissecta insulas: portus raros, accessu difficiles, & munitissimos habet. Tum Hollandia scopulis arenosis admirado Conditoris beneficio mare arcentibus, littore bellis plane inimico, ferè tota à Septentrione in Occidentem communitur. Ad haec fluuijs ad lunæ motum cursu & recursu propter vicinum mare intumescantibus, & riuiulis, paludibus stagnis, & fossis adeo plena est: ut aquis citius innatare, quam firma consistere videatur. Loci igitur conditio genti (alioqui natura facili, minimè feroci, perbenigne, & ad omnem humanitatem composita) pridem heresi correpta, & in rebellionem hac concitata, animum parat, audaciam inspirat, & ferociam addit. Videt enim se firmissima, & longè tutissima sede contineri. Intelligit iam saepe experta, & locis suis palustribus, & aquosis, humanum vestigium vix admittentibus, egerrimè exturbari se posse. Quin sperare iam audent, se ex antris suis natura loci munitissimis, adeoque bellicæ expeditioni plane inimicis, vix aut unquam erui posse.

Quid igitur? obstinata illa perduellium colluuius, perpetuo ferenda erit? num peruersissima haec sceleratorum hominum sentina, semel exhaurietur? an non pessima ista facinorosorum lerna, aliquando dissipabitur? nunquid ipsa perniciosissima totius cladis, calamitatis, & omnis denique mali seaturigo, totum orbem infestans, vel tandem praecidenda, & exiccanda erit? Itane seditiosissimi illi perduelles, omnis in Regem rebellionis primi autores, & instigatores pessimi, impune permittentur, vicinas Belgij prouincias expilare, confines

fines Principum ditiones concutere, remotiores inquietare, regna conturbare, Regem ipsum circumagere, & totum denique orbem commouere? Siccinè provincia, rapinis illorum exposita; Principum ditiones, concussionibus eorum obnoxia; remotiores commotionibus obiecta semper erunt? Tum regna inquietari, orbemq; totum varijs usque commoueri turbis, perpetuo feretur? Quid? Rex ipse, qui neminem generosi stemmatis claritate maiorem: nullum magnitudine opum, & potentia superiorem: nec vllum sceptri amplitudine parem in orbe agnoscit: patietur se diutius contemni, abijci, illudi, circumagi, adeoque contumeliose excipi, & indignissimis modis tractari? idq; à suis vasallis per duellibus, vilissimis hominibus, tum pessimis & peruersissimis, omni facinorum, scelerum, & flagitiorum genere contaminatissimis? Quis sane mentis ita unquam sensit? quis prudens istud suaserit? quis iustitia & aequitatis amans id probabit? Quo non peruenere iniquissima perduellium studia? quid non impijs conatibus ausi? qua non perniciosissima molimina machinati? & que tandem non pessima facinora, & flagitia, cum in Regem, tum in Religionem designarunt? Hac orbi notiora sunt, quam ut referre opus sit: & pro instituti modo, nunc quaedam obiter recensita sunt. Quibus conspectis & consideratis: qui sanè Regi nominis & honoris obseruantiores sunt, omnem moram in illis malis pessimis sistendis, & comprimendis molestissimè ferunt. Qui verò diuini numinis cultum & gloriam zelant: tardioris progressus tadio affecti mœrore contabescunt.

Sed nunquid per duelles illi ullo pacto comprimi poterunt? Nunquid aliquis modus posset inueniri, quo ad pristinam Regis obedientiam, vel nolentes cogantur, vel eo tandem inuiti pertrahantur? Vt qui in rebellionem primi fuerunt, hac extincta & sublata postremi redeant? Quis ambigit quin possit inueniri. Sed quisnam modus imprimis commodus foret, opportunus, & maximè expeditus, inquirendum existimo. Vt nulla posthac cunctatio rei perutili, adeoque necessaria, iusta ratione obijci possit. Immensa belli mole, perduellionem illam comprimi posse, nemo prudens negabit. Sed est modo Regius exercitus, & is instructissimus: quem & auctis copijs longè instructiorem reddere, tantum Regem posse, nemo est qui addubitat. Difficillima quidem licet hæc tempora sint, quibus omnium rerum pretia enormiter aucta sunt, & indies graniora redduntur: Regis tamen conatibus obsistere, vel hos retardare, aut impedire nequaquam possunt. Sed mali huius, de pretijs rerum supra modum auctis, non minima causa sunt perduelles illi: homines ad omnem malitiam edocti. Qui dum remotiores ditiones, depradati

dari, perinde ac vicinas nequeunt: auctiori numismatis valore, unde rerum pretia assurgunt, expilare contendunt. Sed nunc nihil minus quam molem belli, quo comprimantur perduelles, petendam censeo. Nulla ratione illam urgeo, in huius rei expeditionem, Vt potè, cum moles belli, alibi modo opportunior cognoscitur: ubi longè maiori utilitate applicatur, quam unquam Belgicis rebus posset. Cum provincia illa grauiora bella, in proximiora tempora (ut subinde visum est) protrahere norunt. Modus igitur inueniendus est expeditissimus: quo sine belli sumptu & molestia, rebelles provincia ad pristinam Regis obedientiam reduci possunt: idque quantum potest facillimo compendio, quò omnis mora amputetur. Ecquis ille modus est, audire gestimus? Hunc inueniendum esse dixi, hunc inquirendum admoneo. Vnde si quispiam expeditius quid attulerit: in eius sententiam ire placebit.

Nemo Consultantis personam querat; nemo de eius conditione inquiret: sed modum proponendum diligenter consideret, & eius vim sedulo perpendat. Mirabilis quidem DEVS in sanctis suis: at idem ipse in vilissimis & abiectis homuncionibus, quin etiam in minimis & contemptis creaturis admiranda operatur. Qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia: qui sepe qua a sapientibus & prudentibus abscondit, ea reuelat paruulis. Qui linguas infantium facit disertas, & ex ore infantium & lactentium sibi laudem perficit. Multo quidem tempore, huic salubri negotio animum intendi: ut nimirum modus expeditissimus reperiretur, quo illarum ditionum rebellio, toti orbi Christiano noxia & infesta, semel excindi, & tolli posset. Tandem Diuini numinis inspiratione, ut confido, is occurrit: quem viris prudentissimis mox aperui: tum de eodem in lucem proferendo consultavi. Non poterant ipsum satis commendare: nullum expeditiorem reperiri posse affirmantes: utque properè persicerem, quod proposueram, maximè operè adhortabantur. Quod mihi iam alterum erat Diuina inspirationis indicium. Vt potè fieri non posse existimabam, quin cœlitus menti illapsus esset, quod viris prudentissimis & optimis, mox ut patefactum erat, summè operè perplacebat. Adeoque ausus fui id ipsum in lucem mittere, maximè quum lucis opera, lucem ament; ut eius beneficio orbi innotescant. Nam ita fore speratur, ut quod propositum erit, Illustrissimorum Principum, Catholica Religionis, & Regi fauentium aures citò percellat, & ad ipsius mox perueniat. Tum maximè confiditur, ut quod Deo aspirante suggestum fuerit, gratè & magna auaritate excipiat, ipsoque

aditu.

adiuuante mox executioni demandetur. Quin igitur modus ille proponitur? At durus est, austerus, saeuus, horribilis. Vt plerunque solent esse canteria, quae extremis, & deploratis malis admoueri consueuerunt. Tamen opportunus est, accommodus, & expeditissimus. imo quo nullus expeditior reperiri posse existimatur. Audiatur igitur modus iste? Heu horret animus cogitare, quod dura necessitas cogit effari. Sed quid? Gestit nihilominus mens palam proferre, quod summa utilitas suadet publicè proponere, & totius orbis conspectui obijcere. Modus igitur rebelles illas prouincias, ad pristinam Regis, legitimi sui Principis obedientiam reducendi, modus inquam expeditissimus est Proscriptio.

Quid verò proscriptio est, & quid valet in deploratis bellis, in rebellionibus comprimenda, & sustollendis seditioum fomentis, & reliquijs: cum Sacrae litterae, tum ethnicorum, & imprimis priscae etatis Romanorum historia, per abundè docent. Scripturae exempla dilucidè probant, quàm expeditum sit, in huiusmodi rebus arduis & longè difficillimis, proscriptionis remediū. maxime ubi ampla proponuntur exequetibus praemia. Caleph Israëliticae gentis vir strenuus, ut difficultatem sensit in tradita sibi possessione obtinenda: Qui percusserrit, (inquit) Cariath sepher, & coeperit eam, dabo ei Axam filiam meam, uxorem. Coepitq; eam Othoniel filius Cenez frater Caleph iunior, deditq; ei Axam filiam suam uxorem. David singulari certamine Goliath Phylistaeum aggressus est, commotus utiq; munificentissimo praemio à rege proposito, quo iam proscriptus censeripoterat. Virum ergo (inquiunt) qui percusserrit eum, ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israël. Sic Abela ciuitas liberata est obsidione, qua illam Ioab premebat, capite Seba à se proscripti tradito. Et in eum modum Rex Syria, Achab Regem Israël proscripsit. Rex autem Syria (inquit) praeceperat principibus currum triginta duobus dicens: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, nisi contra regem Israël solū. Nunc verò quàm horribilis res sit proscriptio, prophana, quoq; historia meminerunt: quibus prisca secula bellis saepe diuturnis fatigata, vel seditioibus grauius concussa, ad pacis quietē peruenierunt. Et licet proscriptione subinde abusi sint tyranni, & Reipublicae oppressores: eius tamen horribilem imaginem graphicè depinxerunt. Et quanam re etiam optima, praeter solam virtutem, non abutuntur homines? Non tamen hinc sequitur, neque ullus iure affirmauerit, principes legitimos, quibus ius gladij est, proscriptione in vasallos suos, maleficos & rebelles uti non debere.

Nunc quàm immense utilitatis res est proscriptio, & quàm accommodum,

dum, ac longè expeditissimum remedium, ad recuperandam turbatis ditio-  
nibus quietem. recentia superiorum proximè annorum exempla, egregiè con-  
testantur. Quid Italiae prouincias, & inter ceteras Tuschiam cum vicinis, à  
sicarijs & grassatoribus vulgò Bannitis, breuissimo temporis spatio repurga-  
uit, vt nullus iam conspiciatur. Quum illi principum lenitate adeò increbue-  
rant, vt in vrbe ab illis periclitarentur. Quid? nisi proscripio? qua ipsi inter  
se committebantur: vt quisque eorum quantumuis facinorosus, & plurimis  
& ingentibus sceleribus opertus, cade cuiusque proscripi perpetrata, sibi &  
& ingentibus sceleribus opertus, cade cuiusque proscripi perpetrata, sibi &  
alteri quemcung, vellet ex proscripitis, omnium scelerum impunitatem im-  
petraret. Sed quid alienum exemplum vrgeo, cum vicinum & domesticum  
praluceat? Nonne per duellium caput, perversè in Regem conspirationis  
architectum, & antesignanum, Principem dico Auràicum, hostem Regis  
coniuatissimum proscripio sustulit? Nunquam in Regis potestatem Ant-  
uerpia, & dependentes inde prouincia, illo superstite deuenissent. Vt quouis  
rerum Belgicarum gnarus non negauerit. Adeò vulpes astutissima, mille ar-  
tifex, modum quo illam obsidione liberasset, facile inuenisset. Sit exemplo Ca-  
meracum, quod admirando astu in Gallorum potestatem, quum amplius ser-  
uare non posset, quò Regi grauius faceretur negotium, tradidit. Testis sit ille à  
secretis Regis, qui ob collusionem cum Principe occultam, hac traditione de-  
prehensam, in Hispania à curia Regis, capite plexus est. Quum igitur tam  
immensus proscriptionis fructus, ex capite per duellium sublato conspiciatur:  
nunquid de membris proscriptione dissipandis idem sperabitur? At quid di-  
co sperabitur? imò posthabita omni dubitatione certissimo expectatur. Si ni-  
mirum capita Ordinum prouinciarum rebellium, proscriptionis albo inscri-  
pta, ne in concilium prodeant, vel coeant, arcentur: Si Magistratu, & prima-  
rijs seditiosorum ductoribus proscriptione notatis, ciuitates destituuntur: Cer-  
tè fieri non poterit, quin minis & terrore concussa, ne grauioribus agitentur  
tumultibus, Regium presidium implorent: & velint nolint ad pristinam Re-  
gis obedientiam, amplexa eius clementia sepius oblata, citissimo reuertantur.  
Ita tandem dissipabuntur gentes, quae bella volunt.

Quanta verò facilitate istud proscriptionis negotium consici potest, vt ni-  
hil minus sit quam sumptuosum vel molestum, quouis prudens facile conspexe-  
rit. Pauci imprimis proscribendi erunt; nimirum in singulis ciuitatibus siue  
oppidis, quinq, sex, vel septem, aut plus minus, pro ciuitatis amplitudine, vel  
maiori in regimine, vel per duellionis studio, praeminentia. Et praecipue illi  
proscriptionis albo inscribentur, qui Ordinum capita sunt, & ciuitatum pri-  
mary rectores, & praeceteris magis eminentes seditiosorum ductores; quorum  
C publi-

publicis prouinciarum conuentibus, & priuatis concilijs, ac reipubl. admi-  
nistratiōe res perduellium geruntur, & gubernantur. Atq; horum nomi-  
na, cognomina, functiones & munia, & cetera quae ad personarum notitiam  
faciunt, quantum fieri potest clarissime, in proscriptionis diplomate expri-  
menda erunt. Utq; nominum confusio euitetur, & mox habeatur distincta, &  
apertissima personarum cognitio; iuxta ordinem ciuitatum proscripti pote-  
runt designari. Et quo res facilius succedat, & celerrimo potiatur effectu: si-  
mul proscriptione eadem damnabuntur, quicumque in proscripti cuiusque  
sue latentis, vel fugientis, aut casu administrationem siue munus successerint.  
Proscriptionis vigor sit; ut potestas tollendi proscriptum cuius committatur:  
sue incola, siue exterius ille sit; siue sanguine, aut quauis alia necessitudine  
proscripto iunctus; siue ipse proscriptione notatus. Ita ut proscripti, nullo loco  
sint tuti, & à nemine securi: sed quocumque terrarum se receperint, omnibus  
occidendi tradantur. Tum exsequentibus proponenda erit impunitas, & per-  
petua omnium obliuio, quacumque in Religionem & Regem, vel quemcunq;  
tandem commiserunt, quantumuis illa graua sint, & enormia. Ad haec, pro-  
ponendum erit pro Regali munificentia premium, illis qui proscriptum, vel  
uiuum, vel casu demortuum caput, ad locum designandum attulerit. Tum si  
hoc interemptor prestare non poterit, non tamen sua immunitate & premio,  
ubi de proscripto interempto constiterit, defraudabitur. Quin & proscriptus,  
si alium quemuis ex proscriptis sustulerit, pari iure, quo quiuis alius, gande-  
bit. Neque est quod impensas, in huius negotij executione, grauiores suspice-  
mur. Nemo ferè erit ex proscriptorum numero, quin ex rebus suis, Regis fisco  
adiudicandis, & interemptoris pretium, et regio in hoc negotio sumptus, abun-  
dè refundet. Locupletes sunt, & ditissimi, cum ex rapinis rerum Ecclesie,  
tum ex direptis telonijs & uectigalibus Regijs, & enormibus suorū exactio-  
nibus, atque exterorum pradis & compilatione.

Porro locus proscriptionis executioni conueniens designabitur: Ciuitas  
nimirum loco opportuno sita: ad quam confugientes, qui proscriptos sustule-  
rint, premijs propositis donentur. Qualis censeripotest Mons S. Gertrudis,  
quae hodie Regi paret: ad quam terra mariq; ex omnibus rebellium locis  
aequè facilis ac celer aditus, & confugium esse poterit. Illuc vel in similem  
locum mittendus erit Praefectus, vel Capitaneus proscriptioni praeficiendus:  
militum iusto numero stipatus, utpote trium vel quatuor millium, aut plus  
minus, prout negotium postulare videbitur: ut nimirum habeat praesidium,  
obsequentibus ciuitatibus destinandum. Ibidem Regium proscriptionis di-  
ploma

ploma, è publico loco proclamari faciet; clangentibus tubis, resonantibus tympanis, cymbalorum strepitu, disjlois aneis tormentis, & quocunq; tandem adhibito solemnè ritu: Cùm in rei apertiore cognitionem, & certiore fidem: tum ut maior aduersarijs incutiatur metus, & milites aliq; illud exequi parati, alacriores reddantur, & vehementius eò instimulentur. Unde & publicatum, in propatulo celebri loco appensum, cunctis legere volentibus exponetur. Descripta exemplaria, & manu Regij notarij signata vel sigillo si opus videbitur communita; ad ciuitates vel proxima loca; quantum fieri poterit certò & securè, mittentur. Tum ut res ipsa palam omnibus sit, & in diuersas regiones spargatur, ac toti orbi constet: ut quocunq; se vertant proscripti, executioni obyciantur: diploma omni idiomate exceptum, pralo committendum erit. Quin idem certo loco & impressore editum, vim habeat, non secus quàm descripta exemplaria, manu notarij & sigillo Regis signata. Et importari poterunt in perduellium ciuitates immissis occultis nuncijs: ne res quauis ratione supprimatur, sed in omnium notitiam, ad promptiorem executionem celerimè veniat. Tum loco diplomatis promulgati, erigantur furca, siue trabes transuersa: quibus illuc adducta proscriptorum capita figantur, stipitibus eminus imposita, nomine & functione ut discernantur adscriptis: quo dignas confusionis pœnas; patrie proditoribus, ac legitimo suo Principi rebellibus debitas luant.

Sed quid ad singularia descendo? Neque enim mei instituti est, aut professionis: Regi, eiusque Principibus, & Concilio formam vel modum proscribere, aut figuram delineare. Satis functus videor meo munere, si ad iustitiam in rebelles exequendam, & vindictam de hostibus Dei sumendam commonuerim, atque eo expeditissimam proscriptionis viam monstrauerim. Quorsum igitur, illa huc adducuntur? Ut illi intelligant, quorum res agitur, quid ipsa imprimis proscriptio est, & quàm acerbum, sed expeditum ad extrema mala cauterium. Inde quanta facilitate, & quàm compendiosa via, omnes ipsorum pessimos in Religionem, & Regem conatus, & scelerata molimina; tum peruersum & summè obstinatum perduellionis propositum, Rex infringere, eneruare, & subuertere possit. Ne in suis viribus, opulentia, & locis munitissimis nimium confidant; vel arroganter, quasi Regi insultantes, gloriari pergant. Ne cùm dicunt; Pax & securitas, repentinus eis superueniat interitus, sicut dolor in utero habentis & non effugient. Denique, illa hæcenus adducta sunt: ut his perpensis & consideratis, Deus fortè illis det cor ad respiscendum: quò singulari Regis clementiam,



pristina reddita obedientia, ultroneè amplectantur. Qui huc usque belli pondus in illos conuertere (licet saepe provocatus) noluit: plurimis illic pijs, & infantibus parcere volēs. Quod in bellicis expeditionibus, maximè his malignis temporibus, praecaueri nequit: quum fontes cladibus belli, innoxios exponunt; & miserum militem, ipsi post principia latitantes, obijciunt. Verum hac expeditissima proscriptiois via, & expeditionis modo longè securissimo; liberabitur pius de angustia, & dabitur impius pro sepultura. Sic misericordia & veritas custodient Regem: & clementia roborabitur thronus eius: dum poterit hac ratione parcere subiectis, & debellare superbos, obstinatè rebelles.

Quamobrem, Serenissime Rex; cum rectum, iustum, & aequum sit quod suadetur, amplecti nequaquam granaberis. Cumq; imprimis temporibus, & rebus (ut sese modo habent) opportunum, tum accommodum, & maximè necessarium videatur: protinus executioni mandare non differes. Moueant Regiam Maiestatem, innumerae & intolerabiles iniuriae, quibus ipsam non ferenda ignominia rebelles vasalli, afficere sceleratè & obstinatè pergunt. Qui & saepius oblatam Regiam Maiestatis clementiam, summa cum ingratitude respuerunt. Commoueant orbis Christiani incommoda, proluxa & miserae provinciarum, & regnorum concussiones, & grauiissima subditorum clades. Quorum omnium non minima causa sunt perduelles: qui in omnium perniciem, indies plura, & grauiora moliri non cessant. Permoueant molesta, diuturna, proluxa, et grauiissima bella: quae passim perduelles illi concitant, aut fouent: quò Regiam Maiestati T. magis infesti sint, & orbem Christianum grauius concutiant, & amplius inquietent. Sed esto: iniurias quascunque sibi illatas, regio animo contemnat, & irrideat Sereniss. T. Maiestas: tum illa orbis incommoda, ceterasq; commotiones & clades, non tanti faciat, (ut quibus orbem ob delicta puniri censet.) & parui pendat bellorum molestiam, quod sumptibus ferendis abundè sufficiat. Sed praetercat haec: seponat ea, licet omnia. Trahant Sereniss. Maiestatem T. dura & proluxa priorum, idq; plurimorum exilia: quae ob Religionem Deo, & fidem Regiae T. M. seruandam, magnis incommodis, & grauioribus damnis susceperunt. Pertrahant multo grauioribus, & infinito plurimorum calamitates, qui Regiae T. M. fidi, sub duro perduellium iugo, vitam miseram protrahunt. Cogat, vel renitentem impellat Regem Catholicum, nunquam satis deploranda tot myriadum animarum iactura. Quae Catholica religione deturbata & explosa, sine vlla eius ope & cognitione, tum peruersis haeresibus seducta, cum aeterna salutis dispendio, in perpetuam damnationem miserrimè ruunt. At huic horrendo malo, cuius enormem grauitatem nulla lingua valet exprimere, nulla mens mortalium comprehendere,

senel

semel ac celerrimè excindendo, modus facillimus, & longè expeditus nunc suggeritur. Quem ne Sereniss. Regia Maiestas negligat, quid Mardocheus mandauit Esther regina, sedulo perpendat, & maturè ac diligenter consideret. Si enim (inquit ille) nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudaei: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit utrum idcirco ad regnum ueneris, ut in tali tempore parareris? Sed nunc quis nouit, Serenissime Rex, utrum idcirco superioribus proximè annis, singulari Diuini numinis fauore & ope, regno Portugalliae opulento, & alijs prouincijs, & uictoria plurima potitus es? Ut nimirum maioribus uiribus, seditiosam & cruentam Caluini sectam, hac tempestate grauiter saeuientem, & orbem praeteris infestantem comprimeres, profligares, & funditus euerteres. Quae cum horrendum illud malum inferioribus prouincijs intulerit, & scelerata perduellionis causam potissimam dederit: uideat Serenissima Maiestas, ne quum illam facillimo, quod nunc adfertur, compendio protinus tollere queat: ampliori cunctatione in se, & domum suam, siue in prouincias, & regna sua, diuinam indignationem concitet. Ne qui modo comprimendi suadentur, & huc usque facillimè posse ostenduntur: mox copijs aucti, & uiribus inualescentes, uicina quaeuis opprimant, & cuncta subuertere pergant.

Sed ne istud inauspicatum de finitimis reuoluendis malum, tum longè grauiore concitati orbis tumultus, praeter opinionem citius eueniant: uobis simul curae sit, Illustrissimi Principes. Qui cum Regia negotia prudenti consilio, & fideli opera adiuuatis: id ipsum negotium Illustrissimis Vestris Celsitudinibus propositum, & commendatum, quo salubri & celeri executioni mandetur: Serenissimam eius Maiestatem hortari, suadere, & inducere, uestra sublimi autoritate conamini. Hoc e quidem certo & indubitanter persuasum sit; in cunctis circumquaque prouincijs, tum uicinis ditionibus, et regnis, quantum ad bellicam expeditionem attinet, uobis cum hydra luctamen esse: Neque unquam sibi polliceantur, Illustriss. Celsit. V. letam de hoste uictoriam, aut sperent ex bellis quietem (quem uel senili etati militantes optant: ) quousque perduelles illae prouinciae, ad pristinam Regis obedientiam perductae fuerint. Quae cunctis passim per orbem, inquietis seditiosè commotionis factionibus; funestas faces admouent, & perniciosae fomenta indefesso studio subministrant, Quibus semel extinctis, & cito sublatis; dum uidelicet hoc expeditissimo compendio, prouincia perduellium subiecta fuerint: cuncta Illustrissimi Principes, uestra per orbem molimina, & belli pacisque conatus optimi: protinus felici, optato, & prosperrimo effectu potentur. Porro nequaquam dubitandum est; quin res proposita, ut Christiani orbis Principibus conspecta fuerit, sum-

nope è comprobabitur. Tum sinceris omnium prudentium calculis, ut res  
iustissima summè utilis, & longè expedita, & imprimis maximè necessaria  
censebitur: adeoq; ut celeri mandetur executioni, ad communem orbis quie-  
tem, ab omnibus urgebitur.

Ceterum omnium Catholica Religionis cultorum partes sint: Omnipoti-  
tis Dei benignitatem, vigili, & assidua prece compellare. Ut ille, in cuius ma-  
nu cor Regis est, ipsum eo inclinet: quo presens negotium celeri progressu con-  
ficiatur. Vel potius illius misericordia, animos per duellium salubri timore  
concutiat: ut intellecto hoc negotio, maturè & salubriter ad respicientiam  
commoveantur: Regisq; Catholici clementiam sepius oblatam, & huc usq;  
adeo ingrata, & indignis modis spretam, tandem ultrò petant. Tum debi-  
tam legitimi Principis sui obedientiam, adeò iniquè & contumeliosè abie-  
ctam, prudentiori consilio, & promptiori obsequio amplectantur. Nunc com-  
muni voto precemur omnes: ut Deus & Dominus noster, pro immensa sua  
misericordia illuminare dignetur his, qui in tenebris, & in umbra mortis se-  
dent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Tum, ut inimicos sanctæ Ec-  
clesiæ, & hostes Catholice religionis, & Regis humiliare dignetur. Ut tan-  
dem destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, Ecclesia Deo  
secura seruiat libertate. Quò & nos sine timore, de ma-  
nu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus  
illi. In sanctitate & iustitia coram  
ipso: omnibus diebus  
nostris.

PROVERB. XX.


Dissipat impios rex sapiens: & incuruat super  
cos fornicem.


LUXEMBURGI, M. D. LXXXXI.

Handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or similar, located on the right edge of the page. The text is oriented vertically and appears to be a marginal note or a small inscription.
















Orat  
da

38